

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
DIURETICIS,  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI DOMINI  
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,  
PERILLUSTRIS ET SPECTABILIS DOMINI  
DECANI,  
NEC NON  
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM,  
PRO  
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA  
RITE OBTINENDA  
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA  
UNIVERSITATE VINDOBONENSI  
PUBLICAE DISQUISITIONI  
SUBMITTIT

**Franciscus Wurm,**

*Austriacus Neumarktensis.*

---

In theses adnexas disputabitur in aedibus Universitatis  
die 29. Januarii 1851.

---

Vindobonae,  
ex typographia viduae Stöckholzer de Hirschfeld.

**Homo naturae minister et interpres, tantum facit et intelligit,  
quantum de naturae ordine re, vel mente observaverit;  
nec amplius scit aut potest. — Multa sunt in praxi, quae  
nec dici nec scribi possunt.**

*Galenus.*



PERILLUSTRI,  
DOCTISSIMO AC CELEBERRIMO

DOMINO

**Martino Steer,**

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI,  
PATHOLOGIAE ET MATERIAE MEDICAE IN  
CAES. REG. UNIVERSITATE PATAVINA PROFESSORI  
PUBLICO ET ORDINARIO, MUSEI PATHOLOGICI ET  
PHARMACOLOGIAE DIRECTORI, EJUSDEM FACUL-  
TATIS INCLYTAE MEMBRO, I. COM. BARS.  
TAB. JUD. ASSESSORI,

V I R O  
S C I E N T I A , A R T E ,  
N E C N O N  
H U M A N I T A T E A E Q U E I N S I G N I , C L A R I S S I M O ,  
C E L E B R A T I S S I M O  
P R A E C E P T O R I  
D E S E O P T I M E M E R I T O ,  
T A M Q U A M A N I M I G R A T I S S I M I  
S I N C E R I Q U E C U L T U S M O N U M E N T U M ,  
P I A C U M D E V O T I O N E  
H O C S P E C I M E N I N A U G U R A L E  
S A G R A T

gratissimus discipulus  
*Franciscus Wurm.*

---

## LECTORI!

Vastum medicinae campum si perscrutaris, vix invenies argumentum, quod non dissertationi inservisset; et, quod ego selegi thema, a multis in re medica admodum versatis jam tractatum est, et multa et egregia inde prostant. Profecto! non mihi in mentem venit, horum operum numerum augere, vel plane nova et non audita proferre, sed tantummodo legi academicae satisfactorus sum. Haec

VI.

dissertatiunculae huic praemit-  
tenda esse censeo, ne quis mihi  
cum Virgilio acclamet:

quo ruis? — — —

Non tali auxilio nec defensoribus istis

Tempus eget.

Te autem rogo, lector be-  
nevole! (si quis fueris?) ut vi-  
rium imbecillarum et temporis  
angustiae memor, eam ex aequo  
judicare velis.

*Auctor.*

## G E N E R A L I A.

**M**edicamenta, quae organismo humano vivo adplicata, urinae secretionem ejusque excretionem expediunt, et expeditam uberiores reddunt, diuretica sensu latiori nominantur; angustiori vero et propria vocis notione sub diureticorum nomine ea veniunt remedia, quae peculiari, nondum satis definita mutatione, quam humoribus imprimunt, et specifica vi, qua renes eminenti quadam ratione adgrediuntur, urinae secretionem, et tali modo et ejus secessum promovent, augentque.

Omnia igitur medicamenta, quae tantummodo excretionem urinae promovent, quin in ejus secretionem influxum exserant, uti e. g. quae externe potissimum adplicata, spasmodicas organorum excernentium, v. g. colli vesicae urethraeque constrictiones, aut calculi, sive caruncularum, v. g. venerearum objectaculum tollunt, adeoque retardatum urinae effluxum restituunt, ad diureticorum classem non sunt referenda, cum vi definitionis nostrae non excretio sola promota, sed inprimis quoque secretio urinae, medicamento, a quo effecta est, diuretici nomen conciliat.

Urinae secretio variis admodum remediis augeri potest, uti:

- 1) quae vias, urinae secretioni inservientes, impervias aperiunt, vel horum vasculorum relaxationem et dilatationem inducunt, unde aptiora redduntur, quo majorem urinae copiam transmittant;
- 2) quae renisum vitalem in his partibus torpentem sollicitant;
- 3) quae fluidum, quo materiae per urinam secus eliminandae solvantur, et ad secretionem praeparentur, sufficiens adducunt;
- 4) quae alias se aut excretionem ultra modum auctas, quibus maxima saepe fluidi moles secretioni urinali subducitur, inminuunt;
- 5) quae humores spissiores solvendo eos ita constituunt, ut facilius per organa secretiora transmigrare possint;
- 6) quae leni stimulo, quem toti systemati sanguifero addunt, secretionem augent;
- 7) quae humores ad renes impellunt.

Ex allatis patet, vix ullum esse remedium, quod hoc vel alio modo urinae secretionem augere non posset, quin ideo jam statim diureticis sit adnumerandum. Plerumque duas constituunt diureticorum classes, quarum prima comprehendit remedia, quae a corpore animali minus aliena, praecipue fluidi mole urinam largiorem reddunt, uti sunt leniora aquosa; haec ad diuretica proprie non pertinent, quia urinae se- et excretionem non nisi ratione quantitatis, qua assumuntur, augent; nihil ominis iis locus inter diuretica conceditur, quia caeteris paribus urinae fluxum certissime promovent, humores diluunt, et magno opere diuretica adjuvant; secunda classis amplectitur diuretica specifica, ex acribus ut plurimum desumpta.



Diuretica specifica minime in renes duntaxat agunt, sed tamquam remedia, plus minusve stimulantia, circulum sanguinis accelerant, reliquorum humorum per vasa motum impellunt, quos simul, justo spissiores solvunt, aptosque reddunt, ut per vasa minora transmigrare possent; cum secessum humorum per renes augent, necessario fluidi molem in corpore imminuere, residuosque inspissare deberent, nisi haec remedia, ipsa vita incitata, materierum organicarum, cohaesione justo majori peccantium, resolutionem adjuvarent; huic accedit, quod plane non in medici potestate sit, tantummodo diureticis specificis, potibus aquosis neglectis, per longius tempus largiorem urinae fluxum sustinere; quoniam praeterea renisum vitalem in renibus intendunt, major contingere debet humorum ad renes adfluxus, quare necessario et secretiones aliae serosae imminuuntur, et quum, uti supra disseruimus, humorum motum impellunt, et stases solvunt, et extravasati resorptionem urgent; subinde etiam pruritus in venerem causant, fluxumque menstruum, lochiale et haemorrhoidale profusum reddunt.

Urinae normalis secessus pro organismi integritate et sanitate summi est momenti, cum inde sanguis a particulis, aquosis, salinis, terrestribus, inflammabilibus liberaretur; hinc non mirandum, cur diureticorum usus jam a primis medicinae temporibus adeo apud medicos invaluisset; quid? quod occurrant in historia medica periodi, in quibus diuretica primum fere tenebant locum et haud immerito, quoniam hac via sanguini particulae superfluae vel planae nocivae certe magis detrahantur, quam quibuscumque purgantibus et diaphoreticis, cum his colatoriis particulae adeo crude vix secedant. Egregie in hanc rem monet celeberrimus van Swieten: „cum abundans in

„sanguine aqua post potum tenuem copiosum, v. g. vel et post imminutam perspirationem cutaneam per renes lege naturali secernatur, et secreta expellatur de corpore, facile adparet ratio, quare semper medici de remediis diureticis cogitaverint, quae praeterea et hoc commodi habent, quod caeteris paribus minus turbent corpus, quam vomitoria et purgantia minusque aegros debilitent \*).”

Non pauci certe sunt morbi, in quibus medici a diureticis salutem expectant, quae et remedia summae dignitatis praebent:

- 1) ubi major materierum, per vias urinales eliminandarum, copia in singulis partibus, vel in toto corpore colligitur;
- 2) ubi secretio quaedam suppressa per aliam vicariam supplenda, vel et altera, modum excedens, per urinae secretionem adauctam moderanda est; hoc praeprimis de imminuta vel plane suppressa transpiratione cutanea valet, ubi e.g. res domesticae, negotia etc. causae sublationem non permittunt; hoc in casu aucto urinae fluxu sequelae noxiae imminutae hujusce excretionis optime praecaventur;
- 3) in morbis, ubi cum probabilitate expectandum est, fore ut natura hac via crasim salutarem absolvat; vel licet jam contingat, haec tamen insufficiens medici auxilio eget;
- 4) in morbis organorum urinalium, qui stimuli idiopathici adplicationem desiderant.

Quam salutaria autem haec remedia, dum recto tempore et modo adhibentur, esse possunt, tam no-

---

\*) Van Swieten Commentar. IV. Tom. p. 257. Hildburghusae 1765.

civa evadunt usu perverso, nimis intenso aut justo diutius protracto, et plura et gravia mala inde saepe oriuntur, uti: mictus difficilis, et plenaria urinae retentio, renum inflammatio, suppuratio, exulceratio, gangraena, torpor, dispositio ad calculorum urinalium genesim, diabetes, haematuria, salacitas, et ob genitalium irritationem masturbatio, veneris abusus, porro haemorrhoides, metrorrhagia, abortus etc. Quae omnia, ut eo certius praecaveat medicus, omnes aegri et morbi rationes bene perpendat, et ab eorum usu absteineat:

- 1) ubi morbus in corporis resolutionem et evacuationes profusas nititur, vel talis humorum conditio, ut renes transigrare non possint;
- 2) in morbis et vitiis organicis urethrae, omnis stimuli additionem recusantibus, vel urinae transitum impredientibus, uti sunt: inflammatio, suppuratio, exulceratio, affectio spastica, induratio, concretio etc.;
- 3) ubi urina jam large fluit; haematuriae, metrorrhagiae etc. periculum;
- 4) si calculi aut alia concreta morbosa organa urinaria infestant;
- 5) in febribus acute decurrentibus, et humorum aquosorum defectu;
- 6) dum crises salutares per alias vias imminent.

Remedia diuretica, quamvis sint indicata, haud raro praeparationem exigunt, summa attentione dignam: ne igitur medicus, antequam diuretica propinet, in viarum urinalium, et humorum, per eas excernendorum, conditionem inquirere, obliviscatur. Viae urinales liberae sint oportet, ut humores aquosos facile transmittant; quare earum infarctus, obstructions, constrictiones, compressiones etc. antea sunt tollendae, quibus fomentis calidis, inunctionibus in regione

renali, semicupiis etc. satisfit; ita et humores spissiores, densiores, extravasati prius sunt diluendi, resolvendi, eorumque resorptio promovenda; sic et materias in reliquo corpore accumulatas, quae diureticorum actionum impedire, irritam, vel plane nocivam reddere possent, e. g. sordes gastricas, ante diureticorum subministrationem removebis.

Salutaris, quem a diureticis expectamus, effectus non parum caeteroquin a modo, quo adplicantur, dependet, qui his ubique regulis submittendus erit:

- 1) ut ab initio remedia mitiora adhibeantur, et in eorum usu tamdiu insistatur, donec vim exserant;
- 2) ut nonnisi pededentim ad fortiora procedatur, et haec ab initio dosi minori porrigantur; accurata doseos definitio maximi est momenti, et saepissime diuretica medici votis non respondent, imo plane contrarios effectus causant, quia dosi majori exhibentur; hinc saepe accidit, ut effectum exoptatum tunc demum producant, dum a dosi recesseris;
- 3) ut a remedii cujusdam usu non abstinenceatur, quia inde non statim effectum desideratum videre licet; diuretica enim nonnisi post longius tempus efficaciam suam produnt; et ut plurimum non est festinandum, cum plerumque in morbis chronicis eorum usus instituitur.

Caeteroquin medicus bene perpendat, necesse est, aetatem, sexum, temperamentum, vitae genus etc. Gravidis diuretica magna cum circumspectione propinet; foeminis in genere facilius nocent, cum apud eas viscera abdominalia sanguine magis turgent; arctioribus adhuc limitibus eorum usus in cura infantum circumscribitur; hominibus plethoricis, temperamenti cholericis, Venere languidis male ut plurimum cedunt; qui vitam sedentariam ducunt, leniora quoque propinabis.

Ut autem diuretica salubres effectus praestare, et ad restituendam miserorum salutem contribuere possent, regiminis quoque magna ratio est habenda; hinc potulenta exhibeantur egelida, inprimis mane, ventriculo jejuno, aër sit frigidiusculus, et sollicite omnia fugiantur, quae aut sudori aut diarrhoeae ansam praebere possent; admodum praeterea diureticorum efficacia promovetur enematis emollientibus, semicupiis, inunctionibus, (ut transpiratio cutanea immi- nuatur) in cute oleo olivarum, therebinthina, et similibus instituendis.

Remediorum diureticorum dispositionem pharmacologicam adgressi, in magnas offendimus difficultates, quoniam medicamina indolis admodum diversae hoc titulo comprehenduntur, et auctores illa promiscue plerumque exponunt; ut tamen aliquem, quem sequamur, filum, singula diuretica perlustrantes, habeamus, primo remedia, quae regnum vegetabile suppeditat, ab iis, quae ex regno animali repetuntur, separabimus, ultimo, quae regnum non organicum largitur, consideraturi.

G. W. Wedel: de diureticis. Jenae 1667.

J. D. Coschwitz: de diureseos provocatione utili et noxia. Halae 1724.

J. C. Lischwitz: de plantis diureticis. Chilon 1730.

Idem: cautelae circa administrationem diureticorum. Chilon 1739.

Andr. Elia Büchner: de diureticis eorum agendi modo et usu. Halae 1745.

Idem: de diureticorum salutari et noxio usu. Halae 1749.

Idem: de intempestivo diureticorum usu. Halae 1752.

J. H. Kniphof: de diureticis specificis. Erfort. 1751.

J. F. Baccher: exposition des differ. moyens, usités dans les traitement des hydropisies. Paris 1765.

Ern. Bose: de cauto diureticorum usu. Lipsiae 1782.

P. H. de Korber: de medicam. urinam movent. ex classe sedantium. Altorfii 1797.

Andreas Jos. Stiff's praktische Heilmittellehre. Wien 1792.

Hufeland's Journal. 5. Bd. 3. St. S. 615 u. 4. St. Jahr 1830. S. 53.

## DIURETICA EX REGNO PLANTARUM.

Quae hoc regnum offert, remedia diuretica et numero et dignitate medica palmam ferunt; multum tamen inter se et natura et ratione virtutis dissentiunt, unde et sub utroque respectu diversa eorum genera emergunt, quae in eum nunc ordinem disposita exhibemus, ut sint:

- 1) medicamenta, quae suam virtutem pauxillo olei aetherei acris, cui adhuc mucus et albumen accedit debent;
- 2) medicamenta, quae jam majorem olei aetherei acris quantitatem et albumen continent;
- 3) sic dicta acria;
- 4) narcotico - acria;
- 5) aethereo - resinosa;
- 6) acida vegetabilia.

### Classis prima.

Quae huic adnumerabimus classi, remedia diuretica, ex diaeteticorum cohorte ut plurimum transfuga, a medicis veteribus merito laudata, a recentioribus fere neglecta, omnium mitissima deprehenduntur, cum in iis minor olei aetherei acris quantitas larga mucis et albuminis mole temperatur; vi gaudent parum nutriente, quin tamen materiam organicam altioris ordinis restituant, cujus potius, dum sola adhibentur, nisum plasticum compescunt, et cohaesionem imminuunt, quare et spissiora solvunt, humores diluunt, et leniori, quem addunt, stimulo, diuresim quidquam

urgent; aliis plerumque diureticis fortioribus, quorum vim acuunt, in subsidium adjunguntur, huc autem referimus:

*Apium* (*Apium* off. — *Apium graveolens* L.)

Duae habentur apii species, nempe: apium palustre, in locis humidis sponte crescens, et apium hortense; usui medico largiuntur radicem et semina, quae vero nunc rarius in medicorum usum veniunt, virtute, quam supra exposuimus, instructa.

Radicis recentis infusum, ex uncia una et ultra paratum, ejusque succum expressum ad aliquot uncias, semina vero in pulvere ad grana 20—30, vel in infuso ad drachmas duas exhibuerunt.

Praeparata. Radices quinque aperientes ex radice apii, petroselini, asparagi, foeniculi, rusci off. compositae, virtute solvente, diluente, diuretica instructae, in infuso a drachmis 2—3 praescripserunt.

Semina quatuor calida minora, ex seminibus apii, dauci carotae, cardamomi minoris et ammios conflata, eundem usum, uti semina apii, admittunt.

*Petroselinum* off. (*Apium Petroselinum* L.)

Planta in Sardinia sponte crescens, apud nos hortorum progenies, radice, herba et seminibus diureticorum numerum auget. Radix recens, vi diluente, solvente et diuretica praedita est, quas siccatione amittit; dant in infuso, ad quod unciam unam alteramve recipiunt.

Herba, plus de oleo aethereo continet, majorem possidet vim ac radix; secundum Mariotte post ejus usum insultus epilepticus exortus est, et alium narrat casum, ubi oculi morbum produxit; credendum tamen est, his in casibus peculiarem idiosyncrasiam adfuisse, vel ejus loco Aethusam Cynapium exhibitam esse: Referente cel. Loob cum succo radicis et herbae cal-

culi urinales emolliuntur, et friabiles redduntur; similem virtutem decoctum, minorem vero infusum exserere dicitur.

Semina prae reliquis plantae partibus efficacia eminent; rarius tamen interne adhibentur; eorum pulvis ad scrupulum pro dosi conveniret.

Praeparata. Aqua Petroselini, ex seminibus parata, mixturis diureticis saepe additur.

Oleum aethereum.

*Asparagus off. (Asparagus off. L.)*

Planta haec ob turiones in hortis culta nutrimentum largitur digestu facile, secessum urinae augens, cui et peculiarem odorem et nigrum subinde colorem communicat, quare et nonnulli ejus usum diaeteticum non ab omni periculo liberum praedicant; sic Schulze haematuriam inde ortam fuisse, narrat; Boërhaave ejus usum dissuadet individuis, quae ad haemoptoën inclinant; secundum Ehrhard fluxum haemorrhoidalem largiorem reddit, et affirmante Van Swieten arthriticis male cedit. Wespremis contendit, asparagos magnum praebere remedium, foecunditatem in viris promoventes, dum apud foeminas effectum plane contrarium inducant, ita ut foemina, quaedam gravida non redderetur, donec ab usu asparagorum, quo valde delectaretur, penitus abstineret.

Usus medicus, cui radice infusum, ex uncia uua et ultra paratum, inserviret, est rarissimus.

Anton. a Clericis diss. med. de asparago. Altorfi 1715. §. 15.

J. G. Frantzius diss. de asparago etc. Lipsiae 1778.

C. N. Hellenius de asparago. Abo 1788.

*Foeniculum off. (Anethum Foeniculum L.)*

Duae occurrunt foeniculi species, foeniculum vulgare germanicum s. minus off. et foeniculum dulce



s. majus off. De ultimo semina et de primo et herba et radix medicis in usum veniunt.

Radix egregrium praebet remedium solvens, diaphoreticum, diureticumque; placet infusum ex uncia una obtentum.

Herba, vi minori instructa, usui diaetetico solummodo inservit.

Semina, efficacia caeteris plantae partibus antecellentia, potibus aliis diureticis ad drachmas duas, tres et ultra adduntur.

Praeparata. Radices quinque aperientes, de quibus jam supra mentionem fecimus. Semina quatuor calida majora semina foeniculi, anethi et cumini desiderant. Aqua destillata mixturis diureticis addenda, oleum destillatum, et syrupus seminum foeniculi.

*Cerfolium, Chaerfolium s. Chaerophyllum off. (Scandix Cerfolium L.)*

Planta haec, in Europa meridionali sponte crescens, herbam medicis credit; virtus medica eadem uti herbae foeniculi.

Praescribunt in infuso; alii succum expressum, ad aliquot uncias exhibendum, sibi laudant; hinc inde quoque aquam cerfolii, ejusque extractum adservant.

Ad hanc classem referri adhuc possunt: radix et semina Pastinacae (*Pastinaca sativa L.*), radix Eryngii (*Eryngium campestre L.*), folia, succus et cortex Betulae (*Betula alba L.*), radix Dauci sativi (*Daucus carota L.*), semina Dauci sylvestris, folia Persicae (*Amygdalus persica L.*).

### Classis secunda.

Quae in hanc conjicimus classem, remedia, oleo aethereo acri, albumine mitigato, efficacia, medicis

practicis sub antiscorbuticorum titulo plerumque veniunt. Virtute insigniuntur nutriente et peculiari, qua organa, vitae plasticae ministra eorumque functiones modo singulari excitant, et urinae secretionem simul impellunt.

*Cochlearia (Cochlearia off. L.)*

Herba recens, medicis imprimis usitata, insigni virtute in vita organorum, corporis restorationi inservientium, excitanda praedita, et urinae secretionem urget, quare illius usus in hydrope, impetiginibus etc.

Hoc scopo herba recens integra comeditur, aut succus expressus ad uncias aliquot de die assumitur; nonnullis infusum vinosum praeplicet.

Praeparata. Spiritus, aqua, conservæ, extractum cochleariae.

*Nasturtium aquaticum (Sisymbrium Nasturtium L.)*

Herba recens iisdem fere viribus pollet, uti cochlearia, magis tamen organa, in abdomine recondita, adficit.

Adhibent herbam in acetario, vel succum expressum aut solum, aut cum aliis extractis amaris, cum sero lactis, aquis soteriis etc.

Aqua nasturtii aquatici, ejusque extractum, quae hinc inde proponuntur, ad praeparata efficacia non pertinent.

Herba nasturtii hortensis (*Lepidium sativum L.*) a priori quoad vires medicas vix differt.

*Radix recens Armoraciae s. Raphani rusticani (Cochlearia armoracia L.)*

Radix, quae siccatione aut coctione vires suas amittit, interne adhibita renisum vitalem in syste-

mate capillari intendit, et urinae secessum promovet, unde illius efficacia in hydropse incipienti.

Interne succum, quem ex radice rasa, aqua pura per aliquot tempus emollita exprimunt, cum saccharo ad unciam usque concedunt; aliis infusum cum cerevisia aut vino paratum adridet.

*Radix recens Allii (Allium sativum L.)*

Ob majorem principii acris quantitatem majori instructa est vi stimulante; et sudorem et urinam pellit, quibus simul peculiarem communicat odorem.

Dosis radice crudae drachma una, succi expressi cochlear cibarium; ad infusum librae unius radice uncia semis recipitur.

*Herba Scordii (Teucrium Scordium L.)*

Herba recens ob vim, qua praeter omnem vitam plasticam urinae quoque fluxum intendit, veteribus remedium in hydropse admodum celebratum erat, quod recentiores immerito fere jam oblivioni tradiderunt.

Praescribunt in infuso ad unciam unam et ultra.

In hanc classem praeterea pertinent: semina Sinapis (Sinapis nigra L.), herba Nasturtii hortensis et Lepidii sativi, herba et semen Erysimi (Erysimum off. L.), herba Alliariae (Erysimum Alliaria L.), radix Raphani (Raphanus sativus L.), semen Sinapeos albae, semen Erucae (Brassica Eruca L.), semen Thlapseos (Thlapsi arvense L.), radix Cepae (Allium Cepa L.), herba Scordoniae (Petiveria Alliacea L.), herba Beccabungae (Veronica Beccabunga L.), herba Salicorniae (Salicornia herbacea L.)

Classis tertia.

Remedia diuretica, quibus haec classis superbit, acria apud medicos plerumque nominantur; analysis

chymica diversa principia efficacia in iis invenit, ita, ut vel materiae cuidam extractivae acri, vel materiae volatili, oleo aethereo acri, resinae etc. vario modo inter se conjunctis, virtutem suam debeant; caeteris remediis efficaciora per eminentiam diureticorum nomine veniunt. Pharmacologicam eorum dispositionem secundum effectus, quos in corpus humanum vivum exserunt, instituemus, ita ut mitiora a fortioribus se juncta considerentur.

### A. M I T I O R A.

*Ononis spinosa (Ononis spinosa L.)*

Radici, qua medici utuntur, jam Dioscorides magnas vires diureticas adscripsit, et medicis veteribus remedium praebuit admodum usitatum.

Scrius oblivioni tradita est, donec J. P. Frank auctoritate in medicorum usum iterum veniret.

Rarius sola, cum aliis plerumque remediis, quorum vim acuit, praescribitur; quae hinc inde substituitur, ononis arvensis viribus vix est inferior.

*Radix Senegae, Senecae (Polygala Senega L.)*

Diureticum mitius, cujus vis radicis cortici inhaerere dicitur; dosi, justo majori cardialgiam, vomitum, diarrhoeam etc. causat; caeteroquin praeter urinae secretionem et transpirationem cutaneam, secretionem salivae et illam in pulmonibus contingentem, urget.

Praescribitur pulvis ad grana 10, scrup. unum, drachmam dimidiam pro dosi, aut in decocto aut infuso ad unciam integram, quibus nonnulli salem ammoniacum, camphoram etc. addunt.

Praeparata. Hinc inde extractum et syrupum de Senega asservant.

Tennent's Epistle to Richard Mead concerning the efficacy of the Seneca - Snake-root. Edinb. 1742. 8.

M. Ph. Bouvaret. mémoire sur le Sénéka ou Polygala de Virginie dans les mémoires de l'academie des sciences. 1744. Siemerling, praes. Detharding, Diss. de Senega. Rostock. 1749. 4.

C. Linné radix Senega. Upsal. 1749, in ejus amoenitat. academ. Vol. II. N. 22.

Burckhard Diss. de rad. Seneka. Argentor. 1750.

Keilhorn Diss. de rad. Senega et Jalap. Francof. 1765. 4.

L. C. Hellmuth Diss. de rad. Senega. Erlang. 1782. 4. — in *Œtzegeß* Thes. mat. med. Tom. II. N. 15.

*Radix Sarsaparillae (Smilax Sarsaparilla L.)*

Celebratum quondam contra luem syphiliticam remedium, deinde vero oblivioni traditum, donec cel. Fordyce experimentis novitus virtus illius medica innotesceret. Sudorem et urinae secessum intendit.

Ut, quem inde exspectamus, effectum praestare possit, radix non corrupta requiritur, quam in decocto praescribunt.

Loco radice sarsaparillae in Gallia sat saepe radix Lupuli humali venditur, quae, tamquam remedium indigenum omnino medicorum attentionem meretur.

Hier. Miueti: questiones de sarsaparillae et ligni sancti viribus. Senis 1593.

*Radix Caricis arenariae. Rad. graminis rubri; Rad. Sarsaparillae germanicae (Carex arenaria L.).*

Hanc radicem viribus et effectibus sarsaparillae ad finem imo et majorem credunt, quae tamen ad finitas confirmatione eget. Quam hinc inde substituant, radicem caricis hirsutae virtute inferiorem censent.

Ch. Fr. Merz de caricibus quibusdam medicinal. sarsaparillae succedaneis, Erlang. 1784.

† *Herba Anagallidis (Anagallis arvensis L.)*

Planta, a Galeno jam usurpata, medicis pristini aevi multum adhibita, vix amplius in medicorum usum venit.

Quondam aquam destillatam, oleum coctum et essentiam de anagallide asservarunt.

G. N. Schrader: Diss. de anagallide. Hal. 1760.

J. Holm s. Holmskiold: Abhandling om Anagallis og dens kraft mod vandskraek. Kiebenhavn 1761.

C. L. Bruch: Diss. de anagallide. Argent. 1768.

*Radix Astragali Exscapi (Astragalus Exscapus L.)*

Radix, et sudorem et urinae se- et excretionem augens, ab Hunczovsky in adfectionibus rheumaticis et arthriticis laudatur; praescripsit ejus decoctum ex uncia semis, integra paratum.

H. A. Erndter de astragalo exscapo. Goett. 1789.

*Radix Rusci off. (Ruscus aculeatus L.)*

Frutex, in Gallia, Italia et Helvetia sponte crescens, radicem suam, viribus diureticis instructam, medicis offert; ingreditur radices quinque aperientes, usus medicus nunc vix ullus.

Zanichelli de rusco. Venet. 1727.

*Ballota lanata.*

Planta haec, in Sibiria sponte crescens, secundum Schilling et Rehmann, qui primi virtutes suas medicatas tentaverunt, viribus diureticis excellere dicitur. Illis affirmantibus, hydropes, qui pertinaciter remediis efficacissimis, uti Scillae, Digitali etc., resistebant, brevi inde abigebantur; quibus laudibus recentiorum multi aduunt, attamen adjunctes, hoc remedium parum praestare in hydrope, a vitio quodam locali vel induratione originem repetente.

Cel. Rehmann ita exhibuit: Rp. Herbae ballotae lanatae ruditer pulverisatae unciam  $1\frac{1}{2}$ —2. coq. cum aquae libris duabus, ad remanentiam librae unius; colaturae addit unciam dimidiam tincturae cinamomi, vel corticum aurantium, vel drachmam unam aetheris sulfur., liq. mineral. anodyn. Hoffmanni vel tincturae opii guttas 15—20, et omni trihorio vasculum semis exhibet. Post aliquot jam dies largus urinae fluxus adparet, coloris ab initio albicantis, dein obscurioris, ultimo fere nigricantis, et simul dolor in regione hypochondriaca se insinuat; his ingruentibus a dosi remedii recedunt, illudque cum China, aliisque tonicis junctum propinant.

Russische Samml. für Naturw. und Heilkunde. Herausgegeben von Crichton, Rehmanu und Burdach. Bd. 1. St. 1. S. 76.

#### *Equisetum.*

Plures habentur Equiseti species, virtute diuretica praeditae, uti sunt: equisetum variegatum, ramosum, palustre, hyemale, limosum, quibus tamen omnibus equisetum arvense palmam praeripuit, celeberr. Lenhossék magnas ejus vires laudat in promovenda urinae secretionem, eamque, imprimis in hydrope, a scarlatina, morbillis aliisque exanthematibus relicto, admodum efficacem praedicat; ubi vero incitatio organorum uropoëticorum non convenit, ab illius usu abstinendum esse monet.

Herbam in decocto ad drachmas duas — tres exhibent.

Beobacht. und Abhandl. aus dem Gebiete der gesamt. practisch. Heilkunde von österreichisch. Ärzten. Bd. 5. S. 392.

#### *Pyrola umbellata (Chimophilla corymbosa).*

Frutex Americae et Europae septemtrionalis materiae medicae folia, caules et radicem largitur. In

medicorum usum inprimis folia recipiuntur, quibus vim, foliis uvae ursi similem, adscribunt, eamque admodum encomiant in hydrope a scarlatina etc. inducto, nec non in colica renali, cui calculus subest. Illius usum sensus gratus in ventriculo et regione renali sequitur, quo et adpetitus acuitur, et digestio promovetur.

Sommerville pro infuso aut decocto unciam unam recipit, vel extracti scrupulos duos, tres, quinque intra nycthemerum concedit.

Similes vires et Chimophillae maculatae adscribunt.

Medico-chirurgical. Transact. Vol. III. p. 78. Vol. V. p. 340.

Vol. VII. p. 143. Sammlung auserles. Abhandl. zum Gebrauch für pract. Ärzte. Bb. 26. S. 248, 340.

The Lond. med. and phys. Journal etc. by Fothergill. Vol. 40. Nov.

Mitchell: Essay on the arbutus uva ursi and de Pyrola umbellata. New-York 1816.

Wolf: Diss. de Pyrola umbellata. Goett. 1821.

*Galeopsis grandiflora Willd.*

Magna quidem insignitur vi, qua urinae se- et excretionem urget, hucusque vero solummodo in adfectionibus membranae mucosae, organa respiratoria investientis tentata est. Galeopsis versicolor et villosa eundem usum admittunt.

Hufeland's Journal, Band 58. St. 5. S. 67.

*Arundo Calamagrostis L.—Calamagrostis lanceolata Roth.*

Affirmante Dr. Trinio remedium diureticum egregium sistit, quod digestionis organa mitius adgrediens, magnos tamen effectus exserit; ejus virtus et experimentis, Petropoli institutis, confirmata est.

In infuso ad aliquot uncias porrigitur.

Comment. physico-med. universitat. Moscov. Vol. III. et in Rust. krit. Repertor. Band 12. Gest 2. p. 282.



*Solidago Virga aurea L.*

Planta in Germaniae sylvis crescens, quondam usitata, recentiori tempore auctoritate S. G. Gmelin oblivioni erepta. Celeberr. P. Frank: „Cosacki,” inquit, „populi circa Danaim flumen infusum aquosum Solidaginis Virgae aureae ut specificum in urinae retentione remedium considerant, ad hanc (paralyticam) forsitan magis, quam aliam retentionis urinae ad speciem adhibendum.” Dr. Muhrbeck ad solvendo calculos urinales infusum aquos. ex rad. ononidis spinosae et sumitatur Virgae aureae ana uncia semis paratum laudat.

P. Frank: De curandis hom. morb. Epitome Liber VI. Tübing. 1811, p. 538.

Buseland's Journal 1824, October, p. 134.

Med. chirurg. Zeit. 1826, Band 2, p. 496.

*Coronilla varia L.*

Le Jeune experimentis, in canibus et dein in proprio corpore institutis, vires diureticas hujus plantae detegit, eique magnam vim in hydropem, (hydrothorace excepto) adscribit; exhibet inprimis extractum ad scrupulum et ultra de die.

Decandolle: Versuch über die Arznekräfte der Pflanzen, deutsch von Berleb. p. 155.

Sammlung auserles. Abhandl. zum Gebrauche für practische Ärzte. Band 30, p. 115—119.

*Radix Caincae.*

Planta mater secundum Langsdorf Chiococca scandens seu racemosa et anguifolia, in Brasilia sponte crescens, in radice magnam vim diureticam recondit, transpirationem simul cutaneam augens, et alvi excretionem adjuvans; in hydrope ascite praecipue effica deprehenditur.

Exhibent decoctum ex drachmis duabus, uncia semis paratum.

Feeder: litter. Annalen. Band 4. S. 395.

Rust's Repertorium Bd. 14. S. 458.

Annal. des sciences nat. Nov. 1826.

Froriep: Notizen. Bd. 16. Nr. 16. S. 251.

*Rubus Chamaemorus L.*

Herba jam pridem a Grindel ob vires diureticas laudata, a medicis Russiae in paralysi vesicae urinae adhibetur, in quo morbo et J. Frank bonum effectum vidit.

Grindel: Med. pharm. Blätter. Bd. 1. St. 4. S. 44.

*Diosma crenata, Barosma crenata, secundum Nees diosma serratifolia.*

Frutex Africae meridionalis foliis suis, incolis jam a longo tempore sub nomine foliorum Buccu notis, diureticorum numerum auget, quae materiam continent sui generis, diosminam dictam.

Exhibent foliorum infusum, aut quam inde parant, tincturam aut extractum, Diosma oppositifolia et pulchella similem usum admittunt.

Johnson: med. chir. review. N. 4. April 1825.

Med. chirurg. Pharm. aus dem Engl. 1824. S. 99. 181.

Rust's Magazin. Bd. 22. S. 597.

Brandes: Archiv. Bd. 22. Heft 3. p. 250.

*Stellaria Jajaejasme.*

Pulvis, ad drachmas aliquot ingesta, urinae secesum admodum expedire dicitur.

*Campanula graminifolia.*

Infusum foliorum aquosum medicis nonnullis Italiae ob vires diureticas placet.

*Erigeron.*

Plures dantur hujus plantae species; ob vires diureticas Erigeron heterophyllum, canadense, et praeci-

pue philadelphium et annum a Barthon et Physick commendantur.

Archiv für medicin. Erfahrung von Hoon zc. 1824, July, August, S. 38.

*Radix Calagualae.*

Planta, nondum satis definita, in America meridionali crescens, hanc radicem largitur; transpirationem cutaneam et urinae fluxum promovet, quare in hydrope praecipue a medicis nonnullis Italiae multum laudatur.

Hippol. Ruiz: Memoria sobre la legitima Calaguala. Madrid 1805.

D. J. Galmetti della radice di Calaguala. Milano 1788.

B. Carminati saggio di alcune ricerche sui i principj e sulla virtu della radice di Calaguala. Pavia 1791.

*Radix Chinae (Smilax China L.)*

Planta perennis Chinae et Persiae, cujus radix anno 1525 in Europa innotuit, quamque in syphilide, arthritide, impetiginibus et hydrope adhibuerunt; remedium nunc obsoletum.

Heom. Ruff. kurzer Auszug der Wurzel China. Würzburg 1548. 4.

Hier. Cardanus de cyna radice et sarzaparilla. Paris 1565. 8.

Ant. Musae Brassovolae de usu radicis Chinae etc. Venet. 1566. Fol.

*Herba et Semen Acmellae (Spilanthus Acmella L.)*

In morborum viarum urinalium adfectionibus, debilitati et laxitati innixis, uti in abundante mucii secretionem, sabuli generatione etc. non omni efficacia carent.

*Flores Acaciae (Prunus spinosa L.)*

Transpirationem cutaneam et urinae secretionem augent, dosi majori effectum purgantem fortiozem exerunt; medicis in usu erat infusum et aqua destillata.

*Herba Cuscutae et Epithymi (Cuscuta Europaea et Epithymum L.)*

Ob vires diureticas quondam usitata.

Wedel: diss. de Cuscuta. Jenae 1715.

*Radix Meu s. Athamantici (Athamanta Meum L. vel Aethusa Meum Willd.).*

Planta perennis Austriae, Italiae, Helvetiae radicem pro usu medico offert; vi agit stimulante, quidquam roborante, transpirationem cutaneam et urinae secretionem urget; qua remedium indigenum majorem medicorum attentionem meretur. Praescripserunt in infuso ad unciam unam.

*Genista aff. (Spartium Scoparium L.)*

Medicis flores, folia et semina largitur, de quibus infusum vel et extractum, inde obtentum, in hydrope, saepe quondam exhibuerunt, serius cineribus peculiare vires in vias urinales adscripserunt.

Abrah. Bacck über Spartium scoparium in actis Academiae Holmiensis.

*Radix Pareirae bravae (Cissampelos Pareira.)*

Planta perennis Americae australis in morbis organorum urinalium, in lithiasi, hydrope etc. multum laudata.

Concedunt pulverem a scrupulo dimidio ad drachmam semis usque pro dosi, vel decoctum.

M. Fr. Lochner: Schediasma de Pareira brava. Norimb. 1719.

E. Buchner de Pareira brava ejusque virtutibus. Erford. 1747.

*Radix Bryoniae (Bryonia dioica L.)*

Dosi minori secessum urinae et alvi excretionem promovet, dosi vero quidquam majori in remedium

drasticum convertitur, tormina, colicam, enteritidem etc. facile inducens, quare vix amplius medicis usitata est.

Huc porro pertinent: *Parnasia palustris* et *Androsace lactea*, *Bocconia frutescens*, *Trichosanthes amara*, herba *Cardui Mariae* (*Carduus marianus* L.), herba et flores *Bellidis minoris* (*Bellis perennis* L.), herba *Mesembryanthemi* (*Mesembryanthemum crystallinum* L.), folia *Vitis idaeae* (*Vaccinium vitis idaea* L.), cortex ulmi interior (*Ulmus campestris* L.), herba *Pyrolae rotundifoliae*, herba *linguae cervinae* seu *scolopendrii* (*Asplenium scolopendrium*), herba *Soldanellae* (*Convolvulus Soldanella* L.), baccae *spinae cervinae*, radix *Ari* (*Arum maculatum* L.), folia *Alypi* (*Globularia Alypum*), herba et semen *Sophiae Chirurgorum* (*Sisymbrium Sophia*), herba *Aparines* (*Galium Aparine* L.), herba *roris solis* s. *Rorellae* (*Drosera rotundifolia*), folia *Agaves* (*Agave americana*), cortex *Capparidis* (*Capparis spinosa* L.).

## B. ACRIA FORTIORA.

### *Radix Squillae (Scilla maritima L.)*

*Radix Scillae*, diureticorum fere princeps, Celso jam nota, a Dioscoride ante septemdecim saecula qua egregium diureticum et specificum in hydrope encomiatur. Radix, admodum acris, siccatione quidquam mitior deprehenditur. Specifica instruitur virtute, qua systema lymphaticum et renes praeprimis stimulo valido adgreditur, in illo renisum vitalem promovens, in his oscillationes vitales alacriores reddens, quare et humorum serosorum resorptionem et urinae fluxum auget. Dosi vero justo majori adhibita et ipsam ventriculi inflammationem et gangraenam inducere valet.

Vetant igitur ejus usum major sensilitas totius corporis, aut ventriculi, aut organorum, respirationi

inservientium, temperamentum sanguineum, dispositio ad cardialgiam, colicam, stases in visceribus abdominalibus, orgasmus, plethora, suppuratio, haemorrhagiae. Medici aut ipsam Scillam in substantia praescribunt, aut quae inde existunt praeparata: extractum scillae, acetum scilliticum, (quod cum lixiva, soda, Ammonia sales praebet neutros, egregia virtute diuretica insignitos), oxymel scillae, ejusque tinctur. Quondam etiam habebant syrupum scilliticum Ph. Edinb. conservam scillae Ph. Lond. pilulas scilliticas (ex gummi ammoniaci, semin. cardamomi, extracti liquoritiae ana drachma una, squillae scrupulo uno conflatas), pulverem Scillae compositum (ex rad. squillae, rad. Hirundinariae et nitro constantem), et plura alia, quae vero vix amplius in medicorum usum trahuntur.

Nonnulli Squillam, ut ejus influxum nocivum in digestionis organa evitent, cum pulvere corticis cinnamomi vel cum calamo aromatico exhibent: ut vero ejus virtutem acuant, cum pulvere radice belladonnae, rad. Senegae, cum gummi ammoniaco etc. praescribunt, imo et ejus cum nitro depur. unionem laudant.

Corvinus de scilla. Altorf. 1715.

Mich. Alberti diss. de squilla, respond. Richter. Halae 1722.

J. G. Wegner: Observaciones de scilla. Lubec. 1737.

Caspari: dissert. de Scilla. Goetting. 1785.

Eust. Athanasii: Historia Scillae physico-med. Halae 1794.

Joh. Brickenden, de radice scillae. Edinb. 1759 et in Schlegel's thes. mat. med. Tomo 2. Nr. 12.

Ludwig animadversiones de scilla, in ejus animadvers. med. Vol. 2. p. 4. Nr. 4.

### *Colchicum (Colchicum auctumnale L.)*

Perennis haec Europae planta radicem, flores et semina medicamentorum diureticorum adparatui addit.

Störk primus illud laudat, ejusque flores cum sero lactis, radicem, cum aceto infusam, in hydropes adhibuit. Plenck, Collin, Roux et plures alii colchicum qua remedium admodum efficax declarant, quibus vero laudibus alii non parum detrahunt, imo illud e penu pharmaceutico ejiciendum esse putant, quod vero probabiliter non ipsi hoc remedio sed potius climati, solo et tempori, quo radix effoditur, adscribendum est.

Qui hoc remedium utuntur, medici illud eo usque propinant, donec nauseam produxerit, et dein a dosi quidquam recedunt; ubi vero vomitum vel diarrhoeam causaverit, subito ab illius usu abstinendum esse monent. Eodem caeteroquin adhibetur modo et similia inde prostant praeparata uti de squilla.

G. W. Wedel de Colchico. Jenae 1718.

Ehrmann: Diss. de Colchico in *Satbinger's Enzyloge*, Vol. V.

Anton Störk: lib. de Colchici radice. Vindob. 1763.

Idem libellus, quo demonstrat etc. Vindob. 1783.

Car. Kratochvill: de rad. Colchici. Francofurt. 1764.

*Radix Chelidonii majoris (Chelidonium majus L.)*

Planta perennis, radice et herba efficaci instructa, dosi minori ingesta resorptionem et humorum per viscera abdominalia motum impellens, urinae quoque fluxum auget, quare illius usus in ictero, hydropes etc.

Usui medico extractum inservit.

J. G. Leidenfrost de Chelidonio majori. Duisburgi 1786.

De Schallern diss. de Chelidon. maj. Erlang. 1790.

*Cortex Mezerei, s. Laureoli (Daphne Mezereum, Laureola, Thymelaea, Gnidium L.)*.

Frutices Europae medicis corticem credunt, virtute summe stimulante inflammante praeditum; interne, dosi minori adhibita, omnes quidem secretiones illam

vero urinae praeprimis promovet, organorum urinalium levem simul irritationem inducens. Dosi quidquam majori stranguriam, mictum cruentum, ischuriam vesicae et urethrae inflammationem, erectiones dolentes etc. causat, unde patet, usum illius internum semper esse ambiguum.

Se Roy Versuche über den Gebrauch und die Wirkung der Seisdelbasteinde, übers. von Junker. Straßburg 1773. 8.

Car. Guil. Justi de Thymolaea Mezereo, ejusque virtut. usuque medico. Marburg. 1798. 8.

*Herba Sedi minoris seu Sedi acris.*

Planta medicis veteribus in scorbuto, in morbis organorum urinalium etc. usitata postea, oblivioni tradita est; recentiori tempore in epilepsia laudabatur, in quo morbo pulverem ad gr. 6—10 bis de die concedunt.

*Clematis.*

Omnes hujus generis plantae, nempe Clematis erecta, vulgo Flammula Jovis, Clematis Vitalba et plures aliae, stimulo valido donatae et urinae fluxum promovent; ob virtutem saepe justo fortiolem non amplius in usu sunt.

*Croton Tiglium.*

Radix saporis acris, odoris ingrati dosi minori diaphoreticum, majori drasticum et diureticum medicis Bataviensibus remedium praebet, cui in hydropes magnas vires adscribunt; quantum de radicis pulvere digitisprehenditur, mane ventriculo jeuno cum vino vel Arak propinant.

*Ranunculus.*

Ranunculus acris et aconitifolius et plures alii in Germania jam a longo tempore ut urinam pellant, in



usu sunt, ob effectum tamen incertum medicis displicent. Huc adhuc spectant: herba pulsatillae nigricantis (*Anemone pratensis* et *Anemone Pulsatilla* L.), herba recens *Anemones nemorosae* (*Anemone nemorosa* L.), *Phytolacca decandra*, herba urticae dioicae et urentis, *Rhus radicans* et *Rhus Toxicodendron*, radix *Hirundinariae* s. *Vincetoxici* (*Asclepias Vincetoxicum* L.).

## CLASSIS QUARTA.

Remedia, quae huic concedimus classi, corpus animale vivum duplici effectu adgrediuntur: altero vitae inferioris organa valde feriente et irritante, altero vitam sensiferam deprimente, quare quas praevalens vita sensifera excitat turbas compescunt, simulque resorptionem, humorum per vasa capillaria motum, se- et excretionem urinae sollicitant.

### *Herba Digitalis (Digitalis purpurea L.)*

Plantae hujus, in sylvis montosis Europae meridionalis et septemtrionalis crescentis, vires medicae per medicum Angliae Witthering innotuerunt, qui primus foliorum infusum cum aqua Cinamomi spiritiosa hydropicis exhibuit.

Dosi congrua cordis et arteriarum facultatem motricem infringit, pulsum frequentiam ad dimidium saepe ictuum numerum reducens; vi excitante specifica adgreditur systema lymphaticum et uropoëticum, urinae se- et excretionem magnopere intendens; virtute praeterea narcotica insignitur (unde pulsum frequentiae imminutio). Ubi dosi propinatur tali, ut nec vomitum, nec diarrhoeam causat, etiam praesente statu febrili, (qui hydropi saepe accedit), in inflamma-

tionibus et stasibus viscerum abdominalium, haemorrhagiis, majori stimuli impatientia, plethora, suppuratione etc. exhiberi potest, quare et merito plerisque diureticis praefertur.

Praescribunt foliorum pulverem, infusum et decoctum, (quod virtute diuretica excellere dicitur), nec non, quae inde habentur, praeparata: extractum, tinctura.

Wittbering: vom rothen Fingerhut. 1787.

Schiemann: Diss. de Digitali purpurea. Goetting. 1785.

Merz de Digitali purpurea. Jenae 1790.

Essay or the medical properties of the Digitalis purpurea or Foxglove by J. Ferriar. Manchester 1799.

Hamilton on the Digital. purp. Lond. 1807.

Sanders an inquiry, concerning Digital. purp. Edinburgh. 1808.

Fanzago: memoria sulla virtù della digitale. Padova 1810.

Jos. Elmiger: hist. naturelle et medicale de Digit. Montpellier 1812.

J. F. Bidault de Villicrs: Essay sur les propriétés medicales de la digitale purpurée. Paris 1812.

Annali di scienze, lettere Nr. V. 1810. Milano.

Partes: Ueber die beste Form der Anwendung von Digitalis, in Hufeland's Journal, 1816, 7. St.

*Folia Nicotianae (Nicotiana Tabacum L.)*

Planta Americana, in Europa cultura propagata, in foliis magnam vim diureticam recondit; eorum usum internum excipit sensus caloris, uti spirituosa inducere solent, nausea, vertigo etc.; haec symptomata plerumque ab initio oriuntur, inprimis si hoc medicamen ventriculo jejuno creditur, mox vero absque sequelis, periculum denotantibus, cedunt, quid? quod

sint medici, qui Nicotianam inefficacem praedicent, nisi haec symptomata induxerit, quare et illam ventriculo jejuno propinant.

Placet foliorum infusum aut decoctum, et quidem praeunte Fowler :

Rp. Fol. Nicotianae Tabaci unciam unam. Infunde aquae ebullientis libra una; stent in infus. fervid. adhuc per horam; colaturae adde spiritus vini rectificati uncias duas. D. S. Capiat aeger a guttis 40, 50—60 cum aqua vel melius cum potu quodam alio grato bis de die.

J. J. Stahl de tabaci effectibus salutaribus et noxiis. Erford. 1732.

A. Buchner de genuinis tabaci viribus. Halae 1746.

C. C. Reichel de tabaco. Lipsiae 1750.

F. J. Cuntira de viribus medicis Nicotianae. Vindobonae 1777.

Rob. Hamilton de Nicotianae viribus in medicina. Edinburg 1780.

Th. Fowler medical rapports of the effects of tabacco, principally with regards to its diuretic quality. London 1785.

### *Sanguinaria Canadensis.*

Affirmante Smith similes ac digitalis vires recondit; secundum Tully vires Scillae, Guajaci, Senegae et Ammoniaci in se complectitur; Macbrid in hydrothorace commendat; planta haec medicorum attentione eo dignior videtur, cum et in hortis nostris bene vegetet.

Porrigitur decoctum radicis ex drach. duabus — unciam semis, quod eousque conceditur, donec vomitiones se insinuant.

W. Doney: Investigation of the propriétés of sanguinaria canadensis or Picoon. Philad. 1803.

Bird: Dissert. on the sanguinaria canadensis. New - York 1822.  
Grozep's Notizen. Bd. 6. S. 152.

*Lactuca sylvestris* (*Lactuca virosa et Scariola* L.)

Planta haec perquam vulgaris ad remedia diuretica praestantiora pertinet; membranis et vasis stimulum efficacem addit, quo stagnantium resorptionem et urinae fluxum impellit, unde magna illius in hydropo efficacia.

Medicis extractum, ex succo spissato paratum potissimum in usu est.

M. Collin: Lactucae sylvestris contra hydropem vires. Vienne 1780.

*Rhododendron* (*Rhododendron chrysanthemum* Pallas.)

Siberiae planta usui medico folia et stipites offert; dosi minori omnes secretiones, praecipue vero illam in cute et renibus contingentem, intendit. Gmelin, Pallas, Kölpin, Gruner, Strak, Zahn aliique ejus usum valde commendant, nihil ominis medicis ob vires incertas mox displicuit, ita ut nunc fere remediis obsoletis adnumerari possit. Idem valet de Rhododendro maximo et Rhododendro ferrugineo.

Kölpin: Bemerkungen über den Gebrauch der Sibirischen Schneerose.

Zahn: Diss. de rhododendro chrysanth. Jenæ 1785.

*Baccae Alkekengi* (*Physalis Alkekengi* L.)

Remedium obsoletum; quondam succum expressum ab unc. 1—2 cum vino vel aqua exhibuerunt.

*Amenta Lupuli foeminea. Coni s. strobili Lupuli.*

Humulus Lupulus planta Europae mediae sylvestris et culta viribus instruitur in conis stimulantibus, narcoticis, digestionem adjuvat, spasmos componit, urinae fluxum expedit.

Adhiberi possunt coni in infuso aquoso et vinoso. Praeparata. Extractum spirituosum-aquosum, tinctura Lupulinae.

J. J. de Roches de Humuli lupuli viribus medicis. Edinb. 1803. 8.

A. Freake: Observations on the Humulus lupulus, with account of its use in gout. London 1807. 8.

## CLASSIS QUINTA.

Quae haec amplectitur classis, remedia vires suas resinae et oleo aethereo maxima ex parte debent; huc referimus ligna nonnulla, balsama, resinas quam plurimas, bitumina etc., in quibus pertractandis nunc nostra versabitur industria.

*Lignum guajacum, lignum sanctum s. benedictum (Guajacum officinale L.)*

Anno 1517 in Germania innotuit. Vi stimulante agit magna, qua systematis vasorum vitam praecipue intendit, se- et excretiones serosas, transpirationem cutaneam, urinae fluxum, excretionem alvinam simul augens. Non fertur a plethoricis, nec a tenerioribus, stimuli impatientibus etc.

Exhibetur lignum rasum in decocto, aut, quae inde asservantur, praeparata: Extractum, resina ligni Guajaci; ingreditur quoque decoctum lignorum.

Sext. Piccolhomini de natura et facultatibus ligni Guajaci.

Romae 1604.

Delgado dal modo de adoperare el legno santo.

Canevarius!de ligno sancto. 1602.

Joh. Witichii de ligno Guajaco. Lips. 1592.

*Juniperus* (*Juniperus communis* L.)

Lignum et baccas, vi diuretica eminenti instructas officinis tradit, in baccis adhuc aliquomodo superiori. Celeb. van Swieten magnis hoc remedium laudibus extollit, dicens in Tom. IV. p. 258: „In officinis habetur rob ex baccis Juniperi paratum, cujus unciae quatuor, si diluantur in duabus libris aquae stillatitiae Juniperi, et huic miscellae addantur binae unciae spiritus Juniperi, ex baccis destillati, habetur remedium, quod concentratas baccarum Juniperi vires habet; cui quandoque, si aegri multum sitiant, addi solet uncia media spiritus nitri dulcis. Hujus remedii uncia una aut altera, si detur omni trihorio, satis pulchrum solet praestare effectum.”

Lignum rasum praescribunt in decocto, baccas in pulvere et infuso; decocto, oleo aethereo magna ex parte orbato, nonnulli majorem vim diureticam tribuunt. Baccae ingrediuntur pulverem Thedenii diureticum, qui constat ex baccis Juniperi tostis, pulvere radice Pimpinellae albae et nitro antimoniato.

Praeparata: Aqua baccarum Juniperi, oleum destillatum, spiritus Juniperi (qui aceto scillitico ad partes aequales admixtus in diureticum egregium convertitur), Roob baccar. Junip.

Becker: Kleine nützliche Hausapotheke oder Beschreibung des Hollunders und Wachholders. Königsberg 1642.

B. Scharf: Akreuthologia seu Juniperi descriptio. Jenae 1697.

F. C. Wilhelm: Diss. de Junipero. Argent. 1715.

J. C. Klein de Junipero. Altorf. 1719.

*Fronde Sabinae. (Juniperus Sabina L.).*

Stimulo fortiori systema sanguiferum adgrediuntur, et urinae se- et excretionem expediunt. Exhibent in pulvere, infuso aut decocto, aut quae ex iis asservantur praeparata: oleum aethereum, extractum aquosum, tinctura.

Bayler: Ueber die Heilkräfte der Sabina in Hufeland's Journal. Bd. 9. St. 1.

A. G. Richter: Diss. de Junipero Sabina. Virceb. 1803.

His adnumera: lignum Sassafras (laurus Sassafras L.), radicem Curcumae longae, gemmas seu oculos Populi (Populus nigra et alba L.), lignum Rhodii (Genista Canariensis), turiones Pini (Pinus sylvestris L.), turiones s. cymas Abietis (Pinus abies L.), folia Taxi (Taxus baccata L.)

*Terebinthina.*

Remedium praebet admodum efficax, urinae secesum valde intendit, violarum odorem simul illi communicans. Qui terebinthinam adhibet, medicus nullo non tempore virtutis suae stimulantis memor sit.

Dant in pilulis vel bolis vel in emulso. Destillatione inde obtinent oleum s. spiritum terebinthinae, qui et externe adhibitus, urinae supra dictum odorem communicat;

Linimentum diureticum ex Terebinthina et vitello ovi paratur; moderno tempore a celeberr. Kieser multum commendatur, et ubi urinae excretio refrigerio, spasmo etc. colibetur, bonum saepe praestitit effectum.

Don. a Mutis epist. de Terebinthina. Lugd. Batav. 1534.

Huc spectant: balsamus Copaivae, pix nigra liquida, (praecipue aqua picea), balsamus Rackasira, petroleum et a. p.

## CLASSIS SEXTA.

Inter Acida vegetabilia, quae ultimo 'adjungimus, mentionem meretur acidum tartaricum, et succus Citri, quae virtute refrigerante, solvente praedita, et alvi et urinae excretionem leniter promovent.

### DIURETICA EX REGNO ANIMALI.

#### *Cantharides (Meloë vesicatorius L.)*

Stimulo peculiari, dum earum usus internus instituitur, organa urinalia adficiunt, et incaute adhibitae stranguriam, mictum cruentum, ischuriam et alia symptomata periculosa inducunt; dosi minori urinae fluxum non augent, majorē vero inflammationem causant, ut igitur medicus, internam Cantharidum adplicationem moliens, non paucis prematur difficultatibus. Nonnulli contendunt, cantharides, interne adhibitae, urinae fluxum plane non augmentare, sed tantummodo pruritus ad mingendum producere.

Ex earum usu interno in morbis, quibus torpor aut paralysis subest, prae aliis in ischuria paralytica, hydrope etc. bonum effectum expectant; praescribunt in pilulis ad  $\frac{1}{4}$ ,  $\frac{1}{2}$  — 1 gr. pro dosi, frequentius vero tincturam Cantharidum a gutt. 5—15 et ultra, cui, ut acrimoniam minuant, decocta mucilaginosa, emulsa oleosa, quibus camphoram vel nitrum subinde addunt, adjungere solent. Herwig cantharidum usum internum sequentem laudat: Rp. Cantharid. dr. semis, Amygda-



lar. dulcium unciam unam, Sacchari albi unciam semis. In mortario lapideo probe conterantur, et lenta aquae calidae unc. decem affusione fiat emulsio, de qua omni trihorio cochl. cibarij concedit.

Geyer: de cantharidibus. Francof. 1681.

Greenfield: de tuto canth. in medicina usu interno. Lugd. Batav. 1698.

M. Kirckhof: Dissert. de cantharidibus. Jenae 1717.

Steuzel de cantharid. prosperae adversaeque valetudinis auctoribus. Viteb. 1740.

L. F. Rumpel de cantharid. earumque in medicina usu. Erford. 1767.

M. F. Jaeger de cantharid. earumque actione et usu. Tubingae 1769.

J. Carton de cantharid. usu et operatione. Edinb. 1776.

J. C. Stockar a Neuforn de usu cantharid. interno. Goetting. 1781.

Luigi Toti di Fojano: l'efficacia di cantharid. nuovamente sperimentata per l'usu interno. Pisa 1793.

J. J. Schirow de cantharid. Francof. 1794.

J. Robertson practical treatise on the powers of Cantharidis etc. London 1806.

*Meloë proscarabaeus et majalis L.*

Cantharidibus virtute multum cedunt; medici veteres frequentius in hydrope, urinae retentione, lithiasi etc. eorum usum fecerunt. Adhibentur siccati, in pulverem triti a scrupulo semis ad integrum, aut, abscisso capite, melle conditi ad quartam, dimidiam insecti partem.

*Millepedes (Oniscus Asellus L.).*

Quondam ob vires solventes, diureticas medicis usitati, remedium sistunt ambiguum, quo medicina

sine damno carere potest. Idem valet de Coccionella septempunctata, de Cocco Cacti, Meloë Cichorei, scarabaeo variabili, Lytta vitata, marginata, cinerea et atrata, Stinco marino et similibus.

J. S. Henninger de millepedibus. Argent. 1711.

J. F. Cartheuser de milleped. Francof. 1771.

*Urea secund. Buchner, alias principium uricum.*

Materia haec sequenti modo obtinetur: Urinae, ab homine sano desumptae et leni calore ad syrups consistentiam evaporatae, in vase vitreo infundatur quadruplum — sextupl. spiritus vini rectificati; solutio filtrata, per aliquot dies digeratur, et fluidum, denuo filtratum, in vase porcellaneo ad mellis consistentiam evaporetur.

Praeparatum, tali modo obtendum, praeter principium uricum, sales quoque varios ex acido lactico, muriatico etc. et principium tingens continet.

Sunt, qui, magni se inde diuretici lucrum fecisse, credant, ex quo in arthritide, calculis urinalibus, hydrope etc. haud parum sibi expectant. Laenec in hydrope ad drachmam usque pro dosi exhibuit, et morbum, quem diureticis laudatissimis et aliis remedijs omnis generis sed frustra adgressus est, brevi tempore cum hoc praeparato se sanasse, refert.

Buchner: Repertorium. Bb. 22. S. 436.

Magendie: Journal de Physiolog.

Medel: Archiv für Physiol. Bb. 8. S. 29.

Gerson und Julius: Magazin. Bb. 5. S. 57.

Kroepel's Notizen. Bb. 13. Nr. 5. S. 80.

## DIURETICA EX REGNO MINERALI.

Multa et egregia ex hoc regno repetuntur diuretica, quibus tamen, uti hucusque factum est, singulis pertractandis, ob limites huicce opusculo praefixos, impares nos profitemur, ita ut hic simplici eorum indici nihil addamus: sales medii, uti cremor tartari, nitrum, kali aceticum, alcalia fixa, (aceto scillitico saturata), acida mineralia diluta, spiritus nitri dulcis et spiritus salis dulcis, quaedam praeparata hydrargyri et stibii, aquae nonnullae soteriae, uti aqua Selterana, Sternbergensis, Johannesbrunnensis, Rohitschensis etc.

## Theses defendendae.

---

I.

**F**oeminae quoque habent semen.

II.

Non datur sanguinis per contagia infectio.

III.

Hirudines parum quidem evacuant, multum tamen juvant.

IV.

Scarificatio perperam hirudinum adplicationi substituitur.

V.

Mutatio in macrocosmo etiam mutationem microcosmi inducit.

VI.

Purgantia rarius simul vomitum, vomitoria saepius simul alvum movent.

VII.

Aqua simplex sensu strictiori ad medicamenta non est referenda.

VIII.

Formulae medicamentorum compositae immerito ex medicina proscribuntur.

IX.

Morbi non cogniti nulla curatio.

X.

Qualis pulsus, tales vires.

XI.

Periculum gangraenae non vetat vesicantium usum  
in febris putrida.

XII.

Opium in febribus intermittibus, symptomatibus  
nervosis stipatis, nullo alio remedio suppleri potest.

XIII.

Sedes primaria febrium intermittentium in primis viis  
est quaerenda.

---

## I N D E X.



	Pag.
<b>D</b> edicatio - - - - -	3
Lectori - - - - -	5
Generalia - - - - -	7
Diuretica ex regno plantarum - - - - -	14
Classis prima - - - - -	14
Classis secunda - - - - -	17
Classis tertia - - - - -	19
A. Mitiora - - - - -	20
B. Acria fortiora - - - - -	29
Classis quarta - - - - -	35
Classis quinta - - - - -	37
Classis sexta - - - - -	40
Diuretica ex regno animali - - - - -	40
Diuretica ex regno minerali - - - - -	43
Theses defendendae - - - - -	44



